



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quarè scriptura vtitur figuratiuis sermonibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Et sic discernit Apostolus 2. Corinth. 3. Vetus & nouum testamentum, vt vetus vocet literam & administrationem mortis, econtra nouum Testamentum seu Euangelium, administrationem Spiritus & vitæ. Nam Euangelium offert Spiritum sanctum credenti, qui dat adiutorium homini, vt possit satisfacere & implere legem. Litera quidem ostendit peccatum, Rom. 3. At Euangelium seu Spiritus sanctus ostendit, quomodo remittitur. Ideò rectè dixit Augustinus: Lex ideò data est, vt quærat: gratia verò ideò, vt lex adimpleatur. Et sic propriè dicitur, litera occidit, Spiritus autem viuificat.

Orthodoxi patres variū sensum (*deutung*) Scripturæ notarunt, tum propter ornatum sermonis, tum mysticum intellectum. Ornamus aliquem sermonem, sicut corpus annulo vel catenis & id genus clenodijs, sicut & Christus & sancti vsi sunt similibus. Sic Ioan. Baptista Lucæ 3. nominat Iudæos gemina viperarum, & Paulus Pseudopphetas canes, Coloss. tertio, & Christus discipulos sal terræ, Matthæi quinto, & Christus se vitem, Ioan. 15. Quæ omnia propter simplices notantur, qui mysteria non capiunt: quare corporalibus similitudinibus oportet illos manu duci. Sic & habent sensum quadruplicem scripturæ: literalem, allegoricum, anagogicum & tropologicum: Litera docet gesta, vt Genes. 1. fiat lux, scilicet illa corporalis in mūdo: Allegoria, quid credas fiat lux, id est, Christus, qui est lux mundi, Io. 8. Tropologia, quid agas, fiat lux, id est, Christus quem imitemur. Anagogia, quid speres fiat lux, id est, Christus, qui illum sequitur, non confundetur in æternū, Rom. 10.

Dicitur quoque lex etiam spiritualis, sicut inquit Apostolus Roman. septimo, Lex spiritualis est, ego autem carnalis: quia requirit motus spirituales siue actus spiritus, vt veram fiduciam, dilectionem & ve-

rum ti-



rum timorem, non tantum externam politicam disciplinam? exigit etiam obseruantiam præceptorum primæ tabulæ, quæ de motibus cordis erga Deum sunt: hoc enim plerosque decipit, vt dum fit mentio de iustificatione, quod potius respiciunt ad præcepta secundæ tabulæ quàm primæ, scilicet, quia non es moechus, fur, occisor, &c. ergo iustus es propter hæc præcepta quæ seruasti. Sed quando primum Deus est æstimandus, & quatenus coram illo subsistimus, id est, quatenus fiducia in eo collocetur, & diligatur & timeatur, hoc quia pauci facimus, ergo de iustificatione non rectè iudicamus: Primò enim exigit Deus obseruantiam præceptorum primæ tabulæ: hic notantur motus spirituales cordis, & accipitur iustificatio. Deindè sequi debent necessariò præcepta secundæ tabulæ, quæ integrè etiam non præstabis, nisi primò gratiam acceperimus iustificationis per præcepta primæ tabulæ.

## CAPVT XVII.

## ARGVMENTA.

1. *Quando sacra scriptura lex est, & quando Euangelium.*
  2. *Quatenus utrunque doceri debet, & ordinè scilicet primò lex, deindè Euangelium.*
  3. *Quòd nedum manu, sed etiam intus spiritu vult impleri.*
- I. **T**OTA sacra scriptura aliàs lex est, aliàs Euangelium Lex est scriptura, quoties peccatum ostendit, arguit, iram & iustitiam Dei punientem proponit. Nā lex sermo est, quo recta præcipiuntur, & mala vetantur, sicut Exod. 20. & Deuter. 4. dicitur quòd vnus credendus sit Deus, hoc lex veluti rectum præcipit: